

198

1996



1922.08 [III. S. II.]




Ex-Libris  
PODHORCE

ACRY. GRF.

718

s

ll. 6.



# EQUES HONOR

In publico

AD SUAM PRÆFECTURAM  
INGRESSV,

FLVSTRISSIMI & MAGNIFICI DOMINI,

D. ALEXANDRI

COMITIS in PIESKOWASKAŁA,

WIELOPOLSKI,  
PRÆFECTI OPOCZNENSIS,  
TRIUMPHANS,

& dum

inter festas acclamations, & solennes applausus,  
splendidissimo apparatu, & publicæ lætitiae voto

OPOCZNAE exciperetur,

A

M. MARTINO WALESZYNISKI,

Philosophia Doctore, Collega Majore, Regio Professore, Ecclesiarum  
Collegiatarum, S. MICHAELIS in Arce Crac. Custod'. S. ANNÆ Ca-  
nonico, in Pobiedr Curato, interea in Vniversitate Cracoviensi  
Philosophicæ Facultatis Decano,

Officiosissimo Cultu

DELINEATUS.


Anno, quo

Mæror DeCepto teter Certè eXIIt orbe.

Die 25. Januarij.

GRACOVIAE,

Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. & Reverendiss. Dñi Episcopi Cracov.  
Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novoduoscianarum Ordinarij Typographi.



# ILLUSTRISSIME PRÆFECTE.

**T**um, & Majorum Tuorū  
amplitudinem, exiguā pagi-  
nā coarctari, ac inculti styli  
colore, in publico pingi, non indigna-  
re. Sacra Homeri Ilias, semideorum  
nominibus turgens, etiam in nucis  
putamine Ilias est; parva Cleopa-  
træ gemma Ægyptum in se claudit;  
& Dij sub ignobilibus formis olim  
latere non erubuerunt. Magnitudi-  
nem decorum Tuorum emensuris,  
ingentibus passibus opus esse novi,

) (2) C

exiguis

exiguistamen utar; nè meus pumilio  
animus, vastâ saltans decempedâ, se-  
ipsum excedat. Illicis Honorem, ut in  
Tuo ingressu triūphet; moves omni-  
um linguas, ut Te loquantur; parce  
quòd & mea balbutiat: nōsti enim  
tibijs illos canere, qui tubis non pos-  
sunt; & gratas Numinibus violas, ab  
eis, quibus non suppetit hecatombe.  
Ingrederis cunctis plaudentibus, Tuæ  
Jurisdictionis Augustale; unde me-  
mineris triumphanti Octavio Augu-  
sto gratiorem fuisse inconditam cro-  
citantis corvi salutationem, quàm fa-  
cundam Oratorum elegantiam. Ver-  
ba non metire; animum dicentis per-  
pende, qui veritati innixus, cæteros  
colores non adhibet, ut solum cando-  
rem explicet. Quod si feceris, preti-  
um dabis, ut opus ex se humile, ex  
Te fiat magnificum.

# EQUES HONOR TRIUMPHANS.

**N**ter tot malorum myriades, post elusa vota & consumptas spes; labentibus in deteriora horis, decurrentibus ad marginem fatorum momentis, ruentibus undiq<sup>v</sup> velut agmine facto, discriminibus; dexter oculis omnium ades, qui mentibus pridem adfueras, & beatioris seculi spem jam prope extinctam suscitas, cum inter publicos plausus & gaudia, destinatum honoris gradum, ex quo altiora, Te præstolatia patebūt, cōscēdis ILLUSTRISSIME DOMINE. Quidni felix adsis, & sidera Tecum dextra feras? qui Tuā indole propè divinā, Cælum humano generi

A

propri-

propitium esse ostendis, cùm Te talem alto de san-  
guine, semper salutaria publicis rebus volvente, de-  
derit. Non solicitamus Deum Cyrrhea secreta mo-  
ventem, non extorū fibras lustramus, non Tripodem  
ambagibus & mendacijs ferventem scrutamur, de Te  
augurando; Tu ipse sufficis, ex quo omina cælo pla-  
centia, cunctis fausta sumamus. Ille Tuus vastus,  
magnorum capax, non de Promethei igne, sed de  
foco Abyssi luminum scintillans, quō ad immortales  
ausus incalescis, purus & illimis animus ingentia pro-  
mittit, & jam Te maximum monstrat; virtus nubem  
modestiæ, quā Te tegis, perrumpens, optimum.  
Hinc intuere, quos comites habes, majorum Gentí-  
um Proceres, effusæ turbæ examina cerne, omnium  
oculos, ora, vultus in Te conversos, & magnitudine  
Tuā attonitos deprehendes. Rumpe, si per natu-  
ram licet, cordium repagula, scrutare recessus, nil  
nisi gaudia, plausus, festivos quosdam motus & tri-  
pudia; Teq; ipsum, quem amoris penicillus, cando-  
ris sinceri, nullo fuco incrustati lineis du&atum depin-  
xit, tanquam in speculo aut illimibus undis videbis;  
majoraq; omnia intùs latere, quām lingua interpres  
explicare potest, invenies. Notus omnibus occur-  
ris, nisi quòd clarior, quām Te fama præcedens, cu-  
jus artem excedis, pingere poterat, oculos cùm tra-  
xeris, corda in triumphum ducas, Tecumq; feras in  
destinatum muneri Tuo locum, qui cæteros exor-  
nat, à Te decus sortitur. Honorem ipsum dicerem  
vic&atum, nisi Tibi devinctus triumphet; qui ingenti-  
um dotum Tuarum vestitus ornamenti, eō splen-  
didior, quò candido Pegaso Tuo vectus, magnifi-  
centior in publicum prodit, gaudetq; Eques videri,

brevi

brevi in sublimiora subsellia, Te seculo tramite, ut  
pote Majorum Tuorum vestigijs trito deducaturus.  
Rara hæc, Tua tamen propria laus est, quæ sicut o-  
lim summis Heroibus Deorum mensæ accumbere  
meritis data, utraq; solis cubilia replebat, ita nunc  
non in solam popularem auram sese effundit, sed  
devota Musis & Phœbo pectora pulsat, ut ora resol-  
vat. Hæc sola in hoc publico plausu se torquent,  
& post exploratam linguae alibi disertæ vim, tenu-  
itatem fatentur, timentq; nè sermonis audaciâ, & in-  
genij culpâ virtutes Tuas si ornare vellent, corrumpant,  
ac inani conatu nomen ex se illustre & pene  
adoratum temerent. Auream ætatem, quâ & vir-  
tuti honor, & sceleri timor erat, Te meruisse si quis  
dixerit; Tuæ indoli, spiritu è cœlo traduci anima-  
tæ injuriam moliretur; cùm inter illas beati seculi  
animas, ad regulas morum, concinnè efformatas, ma-  
teriam non haberet, in qua Tuam virtutem, ut cæ-  
teris præmineret, exerceres. Stante vagientis ad-  
huc mundi innocentia, quæ recenter tracto cælitus  
igne eosq; excœcta, ut ad magna facinora subito &  
spōte arderet, non erat arduum inter optimos esse bo-  
num; at capulari ejus senio in rogum & fumum  
vergente, quô scelus est, esse bonum, & ad pænam  
sufficit innocentia, inter malos evadere in optimum;  
summum ex invia difficultate encomium. Quid  
igitur? Arcus, colossos, pyramides, statuas, septi-  
zonia Tibi erigenda decerneret? at hæc fluxa edaci  
tempori in escam exposita, ad mendacem famam a-  
dulantis vetustatis crepundia, & incrustata superbæ  
mentis simulacra, plerumq; ejectamentis hominum,  
tetrī in purpura monstris, coronatis sceleribus, ut

licentiūs peccarent, data. Sideribus nomen inse-  
rēndum statueret? ubi, etiam adulteris & parricidis,  
feris est locus. Fastis perennaturæ memoriae inse-  
rendū censeret? jam ætate Tuā major cogitationem  
Oratorum prætergressus, utramq; paginam famā  
implevisti. Quid tandem? altius evasisti, quām  
penna sepiā gravis ferri, aut verborum, si adsit, pon-  
dus erumpere valeat. Quò magis Te omnes ad stu-  
porem loquuntur, acriūs ingenia torques, blandè in-  
cusantium naturam, plūs Tibi tribuisse ornamen-  
torum, quām illis virium, ut eadem enarrent; vir-  
tutem mirantium, majora in Te patrare miracula,  
quām dici possint. Quidquid sit: esse non poterit,  
quin pedissequos laudatores, si non ad numerum, sal-  
tem ad omnimodam reverentiam locuturos habeas,  
qui turbæ inserti conscientiam suam exonerent, Te  
eis vim dignè laudandi eripuisse, clamitando. Effu-  
geris more modestis solito, vitantibus artificis ocu-  
los, nè vultum penicillo in tabulas transferat, cæte-  
rorum in Tui delineationem anhelantium ausus,  
meum non poteris; cui à primo ungue nota Tua.  
indoles & æstimata, etiam Tui absensis ideam dabit.  
Vmbras à concolore ingenio ductas, quæ picturis  
non obsunt, nec soli, cùm ejus cursum lineis pingunt,  
Tu ex more comitatis non damnabis, ego nè im-  
perfecto artificio malè Te dignoscendum proponam,  
ut imaginibus imperitâ manu efformatis est opus,  
adijciam, Te WIELOPOLSCIVM esse: sic, quis,  
qualis, & quantus sis; curq; Eques Honor in Tuo  
ingressu triumphet, patebit.

Honor virtutis præmium, emensi per avia & ab-  
rupta discriminum, laboris formosa merces, mentis  
honestæ

honestæ ad generosos ausus pulcherrimum incitamen-  
tum; natæ ad magna indolis lucidissima fax adeo  
hominum accedit desideria, ut nemo sit, qui velle  
recuset os populi meruisse, illucq; fatuorum ignium  
instar ferri, quô distenta ventô gloriæ cupido trahit.  
O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!  
Multi sub ementito virtutis colore iridis more cæ-  
lestibus sese inserunt circulis, ut ab ignaris faltem,  
& non dempto cortice res æstimantibus, sui admi-  
rationem extorqueant; plura ausuri, ni interim re-  
petente suum vaporem terrâ, in stillicidia, pænitentis  
non sponte fastûs, dum unde eruperat, redire  
cogitur, indicia, resolvantur. Gomorrhea hæc  
poma, cerussatâ venustate, vulgi, vera ab inanibus non  
discernentis, avidos oculos ludunt, donec experien-  
tium manibus pressâ in cineres evanescant. Athomi  
isti mulcente popularis auræ flabello ex suis angulis  
moti, innatæ levitatis adjutorio in sublime pro-  
rumpunt, ut ad solem volitent, aut nubibus immixti,  
fulgura fiant. Portenta hæc, cuncta susq; deq; per-  
vertunt, nil intactum relinquunt, modò cæterorum  
ruinis altius emineant; ut Marius ab aratro Consul,  
aut Macrinus ex mulione Cæsar, quibus profuerat  
in suo obscuro latuisse, nè qui, & quales fuerint, po-  
steritas nôsset. Infelix honor, cùm à talibus rapi-  
tur, & cum ingenti dehonestamento captivus in-  
triumphum dicitur, detestans atrox opus & crimen,  
fortunæ ipsi erubescendum, quæ malesana pullos  
suos provocat, ut locum temerent virtuti debitum:  
inde beatus triumphat, cùm virtus sibi & suo juri  
reddita, commune orbi vitium, ignorantiam recti,  
& invidiam supergressa, munera ex merito dispen-

B

sat,

sat, æquo jure dividens præmium, aut pænam, nè  
& sceleri timor, & spes desit probitati. Quidni ho-  
nor in Tuo ingressu *ILLUSTRISSIME PRÆFECTE*,  
jubilet, gestiat, plaudat, exultet? quem cùm devin-  
xeris, viceris, dicere debueram, facis, ut triumphet.  
Triumphaverit quondam, cùm Socratem decretô  
Apollinis supra genus humanum evexit; at ex ob-  
stetricie natum: plauserit cùm Servium judiciô Nu-  
minum & Romani populi consensu, ad Regale soli-  
um deduxit; at qua origine fuerit, vel ipso ethymo  
nominis explicante novimus. Te ex utroq; parem,  
hoc est virtute, quæ sola ipsis profuerat, & sanguine,  
quō illi erubuerant, summum nactus, non pede-  
ster, sed generosissimo Sonipede vectus, plaudentibus  
cunctis, amore & votis omnium comitantibus, cen-  
set pulchrum videri, & dicier: hic est. Nempe ex  
utriusq; Parentis Domo, Te prodijisse omnes novi-  
mus, in qua, si iterum in terris Dij possent nasci, vel-  
lent; & quæ plures Patriæ Patres, libertatis sanguini-  
ne partæ Defensores dedit, quam olim Pastoritia  
Lavinij Cohors, in sublime ad stuporem evecta gre-  
ges paverat. Divūm Genus & Principem Gentis  
nostræ Domum Tuam dum commemooro, virtuti,  
quæ ei inquilina, non officio: idem enim est, sic Te  
natum innuisse, acsi genuinam virtutis prolem di-  
xerim. Pulchrum est, si Terentius Varro eâdem  
manu Fasces & Secures, plaudente Româ & appro-  
bante, dextrè gerit, quâ olim asciam in macellaria  
Patris taberna scitè gesserat: si Tarquinius Priscus  
eâdem constantiâ & animo res Romanas supra Acro-  
corinthum effert, quō prius tedium, & ereptum  
Patriæ desiderium, Corinthò exultulerat; at si Æmi-  
lij,

lij, si Fabij, si Marcelli, Patriam, cum qua in utraq;  
fortuna simul crevère, decoribus augent, augustum.  
Claritudo generis, res sanè præcelsa; in qua virtus  
si fulget, pretium majus sortitur, ut gemma in auro;  
clariùs cernitur honor ad accensas Majorum Ceras,  
quām in obscuro positus; & purpura nobilior mul-  
toties ostro tincta, quām cuius lana recentem bibit  
colorem. Non diffiteor Natalium splendorem mi-  
nui, si in umbras desinit, & foris titulum inanem  
pingit, qui intus latentia malè explicat. Turpe, si  
qui per Fasces numerant Avos, & pro dote trium-  
phos, genus ab Inacho jactant, exesas senio & carie  
statuas, fumosas imagines dimidios stantes in curri-  
bus Æmilianos, aut fractis jam seculorum injuriâ cru-  
ribus Curios digitô monstrant; ipsi Thrasones & Nat-  
tæ bacchanalia vivunt, satis se egisse rati, cùm la-  
bores suorum longâ serie deductos ostentent. Quid  
ad Paridem? quòd Priamus aut Hector amore Patriæ  
flagraverint, si illicitis ignibus ardet, ut Troja in fa-  
villas & cineres redigatur. Quid ad Scipionem?  
quòd Africani sudore, sanguine, & pulvere obsiti, gen-  
tes bello asperas, successibus feroces, victorijs inso-  
lentes fregerunt, vicerunt, everterunt, si ob dege-  
nerem animum, annulum cum gemma Patris in  
Prætura detractum amittit. At si ex Iove Martes non-  
nisi generantur aut Apollines, si ductus ab Ænea  
sanguis virtutem secum vehens in Iulios desinit; quòd  
vetustior, eò venustior, cùm splendorem auget, ocu-  
lis & animis gratissimum, horrorem quendam vene-  
rabilem incutit, dignitatem honori addit, efficitq,  
ut triumphet.

Multis originem suam tegere placet, sufficere ra-  
B 2 tis,

tis, in quam excreverunt, amplitudinem; Nili adin-  
star, qui cum vasto alveo decurrit, fontem occultat,  
vel ad Paradisum, quō Divini quidpiam adstruat,  
refert. Tales in sui Honoris templo cætera simu-  
lacra videnda exponunt; primum illud originis ido-  
lum in ipsis adytis servant, fide non oculis colendum,  
nè patentis gloria minuatur, aut fiat contemptus.  
Tui Generis *MAGNE PRÆFECTE* origo omnem  
crisim supergressa, & sui secura, cunctis paret non mi-  
nus veneranda, quām timenda, nè splendore obru-  
at perscrutantes. Certè hujus claritudinem mihi  
investiganti lux quædam oculos everberat, mentem  
percellit, sole ipso præstantior; cùm hic antequam  
se totum explicet, auroram præmittit; illa statim  
in ortu suo magna, meridiem gloriæ in Polonia fe-  
cit, priùsquam Polona diceretur. Nempe Lechus  
**STARZARVM ASCIA** usus, Sarmaticam bar-  
bariem præcidit, ut in augustam speciem, Poloniam  
efformaret: quæ quidquid magnificum, quidquid ad  
prodigia seculorum, vastâ mole eve&um habet, utriq;  
ex æquo debet. Hæc Imperij hujus, & aurei ævi  
Architecta, postquam cuncta ad stuporem, & ingen-  
tem Patriæ gloriam perfecerit, sibi inter duodecim  
Principes Palatinos sedem primam exstruxit mansu-  
ram semper in Senatu, unde hactenus non excessit.  
Hujus admirandus splendor per magnos Comites in  
Panigrodz, Luknia, Danaborz, Preginia, ad STA-  
**RZYKONIOS** cum virtutum incremento dedu-  
ctus, gloriam auxit non divisit, fecitq; ut tantorum  
decorum pondus, & tot triumphorum pompa, quam  
Fratres malè concordes ferre non poterant, Sonipe-  
de veherentur. Equorum præsagia ac monitus,

Germa-

Germanorum vetustati experiri olim placuerat, qui candidi in lucis enutriti, varietate hinnitūs, aut even-  
tum male faustum minari, aut votis respondentem polliceri credebantur. Nulli auspicio major fides, aut reverentia erat, cùm & Sacrorum Præfides se De-  
orum ministros, illos secretorum cæli conscos, fa-  
terentur. Misera hominum conditio, sic Numinis  
quærens! quæ quantum olim superstitione peccave-  
rat, tantum fidei **STARZYKONIORVM** Pega-  
sus dedit; ut, quotquot ab eo processere, omnes aut  
oracula fundere, aut digna cælo gerere, meritò fate-  
amur. Equus Cæsar is Iulij, humanis prope pedi-  
bus in digitos discriminatis, ei futuri Imperij augu-  
rium erat; quid si ipsi caput tale obtigisset? Quanta  
illusio! ut malis artibus quæsita potentia, fictâ reli-  
gione firmaretur. Absint auguria, quæ ambagibus  
involuta, expectantium animos suspendunt, & desi-  
deria spe inani nutriunt, ut turpius fallant; vel, si ca-  
su ad placitum præstolantium respondent, adulati-  
one ad veritatem torquentur. Non his ludicris  
eminentiam **STARZYKONIORVM** metimur,  
effectu ipso veneramur: non promittimus, quæ jam  
orbis vidit, & pene adoravit: fatemur nullum esse,  
qui illorum Sonipede vetus, non Imperio dignus  
esset, si virtuti honor daretur. Hic non tulit un-  
quam, nisi pugnantes pro sua Troja Rhesos, &  
candore insignis, solos consuevit bajulare Palantes.  
Procul hinc Nattæ: generosus est, ignavos fessores  
non patitur, nec minus frænos, ut scias esse liberum:  
**Taceo Navogios Castellanos, Ottones Palatinos**  
**Cracovienses & Sandomirienses;** quorum merita,  
cùm præmia, quæ Patria dare potest, superarunt;

C

Impe-

Imperatores Romanos devinxerunt, ut Comitum Imperij titulo ornarentur. Cæteros, secula fatigare nolens, nomina excerptendo, prætereo, nè vel solo eorum numero, meritis & honoribus, quibus claru- ère, exceptis, texere ampla volumina videar: STA- RZYKONIOS dixisse, satis est ad gloriam, SZAFRANECHIOS innuisse, satis ad pompam.

ZEGOTA ex Germania redux, quam famâ, & in- gentibus suis per arma meritis repletâ in cognomen induere, diciq; Germanicus poterat, à Fratribus Germanus esse negatur; qui nè fortunam divide- rent, à Fratre se disjunxère, alienum meritò dicen- tes, cùm degeneres idem virtutis genus non habe- rent. Quid ad hæc Heros magnanimus? Asciam rejicit avitam, quæ se iniquè feriebat; Sonipe- dem pro Gentilitio decore sumpsit, quo usus, im- mortalem gloriam apud exterros acquisiverat; volu- itq; ZAPRZANIEC appellari, nè avarâ suorum ignaviâ notaretur: suæ sibi fortunæ faber etiam absq; Bipenni, tantùm excelluit, ut Nobilitatis Princeps, quia Cracoviensis Succamerarius esse meruerit. Di- ceres hunc non divinâ Palladis arte, sed odio Fra- trum Asciam impellente, Equum fabricatum, nisi virtuti artificium deberetur: ex quo plures pro- dierunt defensores Patriæ, quàm olim Trojam va- staverant. PETRVS & IOANNES jam corru- ptio in majus vocabulo SZAFRANECHII; ille Pa- rents, hic Filius, Castellani Sandecenses, quid sit in honore esse, apprime monstrârunt, docueruntq; non frustra Purpuras rubescere, quas curæ exigitant, ut ad igneum colorem accendant. Vastus & strenuus pro communi bono animus PETRI SZAFRA- NIEC,

NIEC, Subdapiferi Cracoviensis, meritis cum amore LVDOVICI certando, victor evasit; & cum plura sibi deberi, quam acceperit, nosset, infra se posuit; Comitis titulo major, quem in donata Pieskowska posteris per Filios reliquit. Horum primus IOANNES in Pieskowska Comitis, Cancellarius Regni, dum Aquilæ Polonæ ministerio in Primatelem Nidum portaretur, in sacram Vladislaviensis Purpuræ Sedem ultro deflexit, ut modestius innocentiam, quam Annulo, nè temeraretur, signaverat, Magnus Antistes, Praelatorum norma & amissis, explicaret. Alter Paterni nominis & virtutis hæres, Palatinus Cracoviensis, Podoliae Gubernator, contra Cruciferos Supremus Exercituum Dux, solá Regis Majestate minor, scitè Falces, nè in obliquum defleterent, tenuit eadem manu, quâ ferrum in fædi fragos strinxit; ubiq; magnus, vincere magis, quam necare doctus, nisi sponte pertinacia perire voluisset. Sex alij SZAFRANECHI, PETRI nomine insigniti; duo Castellani, alter Visliciensis, alter Beccensis, reliqui cum adjecto Navogio, omnes à Petra Comites, Succamerarij Cracovienses non fragile jecerunt fundamentum, ut perennaturæ gloriæ condenserent molem; cui fastigium adjecit STANISLAVS Palatinus Sandomiriensis, ut tota per ANDREAM Capitaneum Lelovensem, Moschorum flagellum; & cæteros præclarè gestis magis, quam nominibus notos Heroas, Magnis WIELOPOLSCII, ejusdem originis & sanguinis jure, in hæreditatem traderetur. Hos cum nomino; fidem Superum! quam dulcis animum occupat horror! ubi tanta virtutum Nomina, an Numinia cogitantimi.

hi occurunt, quæ intelligi possunt non dici, sublimitatem ingeniorum supergressa, & in Honoris templo locata, majestatem quandam explicant, ut à longè reverentiæ admoneant. Genuinus hic SZA-FRANECIORVM Sanguis, angustis claudi repagulis cùm nequiret, per ampla camporum Poloniæ, cum qua simul à cunabulis crevit, diffusus in Wielopole incidit, ut pro SZA FRANECIO, WIELOPOLSCIUS diceretur. Discite posteri, magnæ virtuti magna deberi nomina; quæ in SZA-FRANECHIS exuberans, nè communi vocabulo Polona tantum vocaretur, ab amplitudine Lechici Campi, quo tamen capi nequit, WIELOPOLSCIA dici voluit. Torquatos à torque, à delicijs crinium Cincinatos, Scipiones, ab eversa Carthagine Africanos, ut cæteros taceam, appellaverit Roma; SZA FRANECIOS à defensa toties, decora-ta semper, meritorum magnitudine, Polonia, veneramur WIELOPOLSCIOS. Ignoscite Magni Heròes: vestra jam inter Divos Nomina non re-censeo; nè exiguâ paginâ Vos coarctare, & imperitò artificiò depingendo, temerare videar: parata & re-centi seculo nota exemplaria monstruo; ut vel sic ma-gnitudinis Vestrae mensura appareat, quòd haberi nequit, in immensum evecta.

GASPAR Comes in Pieskowaskała WIELOPOLSKI, Martis & Astreæ de se certantium, litem ita pulchrè composuit; ut utriusq; esset: qui glorio-sè cùm in castris pene infenuisset, innocentiam ju-stitiæ in Castro Vavellano Iudex defendit, & nè iterum astra repeteret, detinuit; tandem toties repeti-tò in Domos sua titulò, Succamerarius Cracoviensis,

recti

recti nunquam excessit limites, at Regni pulcherri-  
mè; quod ubi famâ replevit, extera in sui admirati-  
onem traxit; omnibus æquus, amabilis, suæ nonnisi  
virtuti viñus est injurius, quam cùm usq; ad invidi-  
am excoluerit, altiore honore coronari non permi-  
sit, mereri non habere præmia contentus. Ita est:  
levia facile in altum tolluntur, gravia non item: la-  
bore opus est, ut ea à suo centro dimoveas; quid ut  
eleves? Cymba levis onerariam præcurrat, & inani  
acta vento, citius portum tenet, agilitate tantum.  
commendabilis, nullis mercibus onusta, quibus ex-  
pectantium in littore desideria exsatiet. Serò & su-  
spensis passibus merita, suo pondere præpedita in  
sublime gradiuntur, prævolantium turbam non  
aspiciunt, sed metam, maluntq; tardius oriri ut soles,  
quam citius ut auroræ, etiam in obscuro ex seipsis  
splendida. Sanè quò altius surgit oratio, eò demissi-  
us cadit, ut Nomen WIELOPOLSCIANVM  
adoret; celsius tamen assurgere nequit, quam sic ca-  
dendo: vires exerit, quid valeat probat, luctatur, se-  
ipsam vincit, verba verbis substituit, ut conceptum  
mentis explicet aptius; deniq; sibi ipsi irata fateri  
cogitur, plū se velle quam posse.

IOANNES Comes in Pieskowaskała WIELO-  
POLSKI occurrit, in quem virtus totam se infude-  
rat; ringente fortunâ, quam contempserat, cùm ni-  
hil ei debuerit; qui proprijs meritis, & velut adacto  
Pegaso, eò evasit, quò solet stupor, non cæterorum  
imitatio. Alta pax, felix ævum Sceptro VLADI-  
SLAI IV. se submiserat, porta Iani aranearum telis  
obsita stridere desierat, fervente Cereris cultu læti-  
tia agris redierat, ad invidiam Gentium circum-

D

quaq;

quaq; fumantium, Gradivo incendia miscente. Nullus nobis Annibal expugnabat Saguntum, aut ad portas epulabatur, detractis annulis superbus, nullus Cæsar transire Rubiconem parabat, nullus Spartacus servos ad pileum vocare ausus; nullus armorum fragor erat, nullus tubarum clangor, nisi ad pompam, nullus sagi usus; magnificientia togæ & splendor publicus, geniales dies, Vitelliani mensuram apparatus, & Ganimedis pocula inter cōcentus ubiq. Tam dulce blandæ pacis conticinium sopiverat centculos etiam Argos, nil sibi & Patriæ timentes, et si proximus arderet Vcalegon, ignaros, procellas & turbines atrociùs furere ex fudo prorumpentes. Rarus qui cælonimium non crederet sereno, & præsentibus lætis futura non metiretur; plures fana, consilia, timidorum partum censentes, saginabantur, oblii placere in vulnus cervices maximas, & non prævisa jacula ferire magis. Inter paucos, fortunæ munera blandæ insidias non dona ratos, selectissimus WIELOPOLSCIVS suam longis per publica negotia experimentis exercitatam indolem, dan-dis oraculis natam, ad mentem Patriæ explicare solitus, cordatum pectus in adversa & subitos casus munivit. Ebrium illud & petulans servūm pecus, triumphata potius, quam victa bellua, tundentes ac mulcentes manus æquè mordere solita, toties nostro, toties suo cruenta sanguine, præcisiss & præustis cervicibus, in perniciem nostram è Cosacicis mappalibus repullulans terruit cæteros, non WIELOPOLSCIVM, qui non oppressam fuisse primo in impetu, cùm indoluerit, reassumendum ausum, in rebellem sūasit, ante discrimen feroces, in periculo pavidos,

pavidos, ipse audax omnia perpeti, animando, tan-  
tumq; effecit, quantum solent cordata pectora He-  
roum, quos verus Patriæ urit amor. Nondum finis  
unius mali, & jam gradus alterius erat; cùm non sola  
rudis parendi, inimicaq; Dominiis tellus, sed & mare  
ab Aquilone in perniciem nostrā intumuerat minax.  
Gens pacis impatiens, studijs alperrima belli, priscâ  
origine, & gloriâ ex ruinis Gentium colleqtâ ferox,  
olim spoliati orbis prædam à Romanis repetere au-  
sa: Sueones, Gotti, Vandali, Finni Lappijq;; & Rex  
Regno novus, ætate fervidus, sui impotens, impe-  
rium orbis vasto animo per improba vota comple-  
xus inopioâ belli inundatione nos pene obruerat:  
Hunni, Pannones, Transylvani, provocati cladibus  
nostris, facto per nefas agmine graves, totâ mole se-  
se intulerant, vix sub tanto armorum pondere spi-  
rantem Poloniam, oppressuri. Iactam esse aleam;  
& ad radices positam securim, datis post terga for-  
tunæ manibus, etiam cordati & mares animi arbit-  
rabantur, non Comes WIELOPOLSCIUS; re-  
stitutæ & proiectæ in meliora spei, magna pars &  
instrumentum, cùm tempestatis tantæ procellis obi-  
cem, deducto in suppetias Germano milite, posuerit.  
Iam Castellanus Woynicësis apud LEOPOLDVM  
I. Legatus sic egit, ut constaret, vigorem mentis, &  
fortitudinem Polonorum cessisse fatis urgentibus,  
sed restare totam; domitam ut pareret, nondum ta-  
men ut serviret; dignumq; Augusto ostendit, ut  
fortibus adesset. Adfuit, majestate oris, & æquitate  
causæ vietus, antequam nobis vicisset, ut WIELO-  
POLSCIO cederet triumphus. Tandem Palati-  
nus Craoviensis, zelofissimus pro Domo DEI Ora-

rator inimicam ei luem è visceribus Regni, quæ viscera in Auctore suo Ario amiserat, ejiciendam persuasit, ut perfectam felicitatem Patriæ Verbo unico, quod DEVS semel in æternitate est locutus, concluderet. Purpuratus hic Heros omnia magna cum meritis superavit, se ipsum infra se posuit, mente in imum demissâ; fato Patriæ ereptus, lachrymas omnibus elicuit, elogis silentium indixit; maximum laudis incrementum ratus, coram Numine imminui. In vestibulo basilicæ, quam Conditori suo sacraverat, recubuit, solo peccatoris titulo contentus, qui virtutum exemplar fuerat. Cuncta hæc, quibus orbi illuxit, decora reticeri voluit, quasi jam non sua existimans, quæ in Filio IOANNE Comite in Zywiec & Pieskowaška la reposuit. Vnica hæc felicis Parentis Proles, tantæ capacitatîs fuit, ut totam ejus magnitudinem comprehendere sufficerit. Frustra Patrem inter felices umbras quæsivisses; sanctiore metempsychoseos argumento in Filio hærentem advertisses, pretium ejus ex tali Vnione, si pretium dari potest inæstimabilibus, desumendo. Vastus tanti Filij genius, quidquid arcano omnis ævi apud eruditos tegitur, quidquid apud cultiores Gentes eximiè sapit, complexus; ingentibus curis par, quocunq; se verterat, semper exquisitam bibliothecam secum portabat, quia eruditum solidè caput. Personata hæc Intelligentia, agitandis & expendenidis magnarum rerum momentis seriò intenta, hominem excessisse, & in fatorum arbitria se insinuasse visa, nihil unquam gessit, nisi pretiosum, nihil est locuta, nisi gemmas æternitatis annulo inserendas. Vir consilio magnus, ingenio sublimis, edecumatus

edecumatus prudentiâ, judicio profundus, animo  
adversis vinci, prosperis efferri insolito, generosus;  
ut præcellentium dotum, & virtutum universale sub-  
jectum diceretur. Favore Numinum in hæc tem-  
pora Patriæ datus, quæ difficillima, undiq; ruenti-  
bus malis aspera, discordijs Civium agitata, ausu mi-  
litiæ obsequium aspernatæ infestata, diffidentijs in-  
ter Majestatem & Libertatem impedita, Conso &  
Marte, ut medelam ferrent, indigebant. Tollenda  
erat difficultas, adversis remedia danda, hiatui ani-  
morum còalitio facienda, insolentia militum sedan-  
da, Regis & Civis liberi titulus explicandus: sustulit,  
dedit, fecit, sedavit, explicuit. Quanta prodigia!  
difficultatem facilitavit activitate, adversis obicem  
posuit prudentiâ, divisos animos conjunxit amo-  
re in Patriam suaviter insinuato, recalcitrantem mi-  
litiam còercuit frænis aureis, ex proprio ærario de-  
promptis, Regis & Civis differentiam reverenter  
explicuit libertate; omnibus unus satisfecit. O cor-  
pus indefatigabile! o anima sublimis, aris & pulvi-  
naribus digna! Post peracta minorum subselliorum  
gloriosè Officia, Supremus Cancellarius Regni,  
omnium opinione, nullis in hoc suis sermonibus,  
sed quia par visus erat, credebatur, antequam esset;  
unde patuit, non semper famam errare, aliquando &  
eligere, cùm factus fuerit, ut tanta merita, Sigillo ma-  
gno consignarentur, quô eorum, posteritati major  
fides haberetur, aliàs non credituræ difficilibus nar-  
ratu ob stuporem. Manifestum WIELOPOL-  
SCIANÆ magnitudinis & felicitatis, si antiquis  
augurijs credimus, indicium, cùm in IOANNIS  
manu Aquila Sarmatici Iovis ministra confedit.

E

Quantus

Quantus esse debeat cui ejusmodi depositum creditur! Ephestione opus est, ut Alexandri secreta noscat; Cyneā, ut cum Pyrrho, vel pro Pyrrho etiam in Senatu Romano loquatur, nè Majestas & loci insolentia os aureum alibi disertum confundat. Munus hoc centoculos Argos requirit, ut hinc, inde, cominus, eminus, interiùs, exteriùs, vigiles perspiciant, prospiciant, nè Patriæ Navis, quæ plusquam unius Cæsaris fortunam vehit, inter tot fluctus, tempestatesq; sonoras in brevia & syrtes incidat, aut scopulis allisa, cum pretioso onere, quod tantis Polona manus contexuit annis, naufragium patiatur. Luctandum hîc est cum fortuna, occurrentum ejus moliminibus, quid serus vehet vesper, in aurora prævidendum, penetranda fatorum secreta, ut sic præscita mitescant, aut alibi iram ponant, aut minùs feriant. Divina sunt hæc, IOANNI tamen ubiq magno, inter Polonos tunc maximo revelata. Verior hic Apollo Tripodem secum tulit semper; quia seipsum, nè perplexis solvendis Delphos petere cogeretur. Magnus Regni Minister, sui Dominus, Iovem Polonum nunquam adorare oblitus, at tonantem, aut retrogradum nunquam; memor se esse quidem Mercurium, attamen de numero Deorum, reverentiam Majestatis à deformi obsequio distinguendo: hinc libertati honor; tanto Ministro apud Concives premium, apud Regnantes æstimatio. Ad Regem; & si antonomasia emphatica videtur, addo: Christianissimum extraordinarius Legatus, inter Lilia rosas locutus, ut sic non solum videretur, sed eslet Hortensius. Vnde eodem charactere insignis ad Gentem togatam, Adriæ Dominam, intuitu libertatis

tatis, Poloniæ cognatam, stuporem secum induxit; nihilq; non gratiosum IOANNES pro III. IOANNE, & Patria effatus. Hûgariæ, olim per CHRISTINAM KOMOROVIAM, Comitum de Liptow & Orawa, à ZOARDO Grati Regis Hungarorum Electi Nepote descendantium Filiam, diducto ad Principes CARAFFAS per PAVLVM IV. Pontificem Maximū, & ad FRANCISCVM DONATVM Venetorum Ducem, sanguine purpuratam; Poloniæ, per MARIAM ANNAM Marchionissā de Arquian, MARIÆ LVDOVICÆ Augustæ Nostræ germanam, Consortes, Regum Affinis; Filiorū Principibus Poloniæ, IACOBO, ALEXANDRO, CONSTANTINO, & MARIÆ TERESIÆ, MAXIMILIANO EMANVELI, utriusq; Bavariæ Duci & Electori nuptæ, sanguine junctorum Parens, tantis Nominibus ex asse respondit, quia WIELOPOLSCIUS. Quanta Viri majestas! quantus honor! quanta admiratio! quanta ex non dissimili sobole felicitas! LVDOVICVS Pincerna Regni, Minoris Poloniæ Generalis, Capitaneus Cracoviensis, quidquid domi, quidquid apud exteris eruditæ dulcedinis collegerat, Patriæ propinaturus erat, nisi mors invida fortibus, nè salutem diceret, honores prælibanti venenum porrexisset. Sanè si anima plùs ibi est, ubi amat, quam ubi animat; separari à Parente non potuit, quem amor singularis indissolubilem fecerat. Brevi mortuum secutus, nè animam, quam uterq; spiravit, divideret. Huc cùm amisit, omnia neglexit; nihil Paternum amplius habere prætendens, præter tumulum. Et hîc vide certamen Fratrum: IOANNES Comes in Zywiec & Piesko-

waſkała, Tuus MAGNE PRÆFECTE Parens,  
eiusmodi exdivisione non contentus, movit causam  
ad Patrem, incusaturus Germanum, quod optimam  
partem ſibi elegiſſet. parum eſt moviſſe; mox pro-  
ſecutus; & nè perderet absens, adelle utriq; voluit;  
Patriæ malo, quæ cùm maximas ſpes de eo conce-  
perat, dolorem parturijt ingentem, quia publicum.  
Ille ingeniorum Apex, & optimus ex Solio Censor  
ac æſtimator IOANNES III. quemadmodum in  
Generalibus Comitijs, ejus, Nuntium agentis, pri-  
vatimq; arduis propositis, ſubitò prudentiſſimè re-  
ſpondentis magnum & grandium capacem animum,  
vim confilij, imperterritum mentis robur, depreken-  
dit, ſtupuit, laudavit; ita præproperæ morti indoluit,  
ſatis illum vixiſſe gloriæ, quod pulcherrimū eſt; at na-  
turæ & Patriæ certè parum, aſſerendo. Futurus  
Cincinnatus; Papyrius eſſe voluit, & in exigua æta-  
te prodigia prudentiæ edidit, ut, majorum expecta-  
tione accensa desideria cùm extinxit, in acerbum  
dolorem provocaret; in cæteris, omnibus amabilis,  
hoc ſolo injurius. Concordem mansura in fædera  
dextram, ut cundorum votum fuit, gaudio Gentis  
Nostræ & lætitiae populi ( Excellētiſſimam Matrem  
Tuam MAGNE PRÆFECTE intelligo ) dede-  
rat, illa mærori, qui brevitate convictū amantissi-  
mi auctus, pene gementem oppreſſerat, ni ani-  
mosior ratione affectum cohibuiſſet. Credo ta-  
men eam vehementiæ ſuccumbere potuiſſe, niſi Tu  
nondum per ætatem doloris tam ingentis capax, ri-  
dentibus ocellis, innocentि ridentis oris lenoci-  
nio, infantilibus identidem ad amplexum plangen-  
tis manibus exporrectis tenuiſſes. In Te Magni  
Parentis

Parentis imagine fixa, singultibus gaudia miscens,  
nunc arridentem, decurrentibus in serenum vultus  
Tui lachrymis, basiabat, nunc innocenter reluctan-  
tem, nè gemitum memoriâ Patris irritares, amove-  
bat, nunc absentiae impatiens, ubi esles quærerat,  
nunc capiendo sopori componebat, ut suaviter quie-  
sceres, tremulâ & truncatâ suspirijs voce sopiebat;  
ut Patriæ cresceres, omnium vota conspirabant.  
Tam ingentis doloris pars maxima fuisti Illustriſſi-  
me FRANCISCE Comes in Zywiec & Pieskowa-  
ſka WIELOPOLSKI, Minoris Poloniæ Gene-  
ralis, Cracoviensis, Lanckoronensis, Zarnovecensis,  
Premykovensis PRÆFECTE. Inter tot Vm-  
bras mæſtus fatis irasci videbaris; quæ cùm cæteros  
è vivis tollerent, Te lacinabant, ut tot Tuorum  
mortibus superstes, iætus sentires acerbius. Hæc  
vulnere Tuo delectata, novum inſixerant, funera-  
funeribus adijciēdo, Tibi dolorem. Virtutis formæq;  
Decus, MARTIANI OGINSKI, Supremi Lithua-  
niæ Cancellarij Consortem, Patris & Fratrum Vm-  
bris adjunxerant, ut cùm germanam eripuerunt, sub-  
traherent & CONSTANTIAM; quam Tu ani-  
mo Tuo retinuisti, nè tantis eorum moliminibus  
succumbere videreris. Post interclusum singulti-  
bus spiritum, tunc primùm omnes respirarunt, cùm  
Tu pullatus quidem, sed quasi sub nube Phœbus Va-  
vellum ingredereris, publicæ serenū lætitiae in signo  
Libræ, justitiæ symbolo, meridiem accensurus. Ac-  
cendisti & corda in Tui amorem, traxisti animos  
in Tui admirationem, obligasti in æſtimationem.  
Ad IACOBVM II. Angliæ, ringente hæresi, Re-  
gem, in Gallia fortunæ furores ridentem, IOAN-

F.

NIS

**NIS III.** Augusti Nostri Legatus pro Majestate locutus, non in barba sapientiam esse ostendisti. Eodem charactere visendus, **INNOCENTIO XII.** eò acceptior fuisti, quòd Te Christi Vicarius, hujus Conjugij Filium novit, cui olim in Polonia Nuntius benedixerat. Cum tanto gloriæ Tuæ incremento, prudentiâ, insigni sapientiâ, & usu rerum plenus, nihil peregrini moris, præter quod virtutem sapit, in Patriam intulisti; plausibus exceptus, ut ubique per exterorum Principum Aulas excipi consueveras. Nobilitatis Conventus, fluxibus & refluxibus animorum turbidos, eo judicio, eo animo, eo ore, quibus ad stuporem excellis, Moderator sic resisti, ut illuc omnes flexeris, quòd Tuorum auctoritas dictorum, & rationum pondus inclinabat. Iudiciorum Capturalium Mareschalcus tantam gloriari miti severitate, non dissolutâ clementiâ comparasti, quanta voto concipi potest; ubi non aliud Tibi sententiæ Tuæ pretium fuit, quam bene iudicasse. Pingunt cæteri cæcam Astræam, Tu coluisti; quæ religatis oculis cum alios non observaret, suam puritatem, intemeratè Te Iudice servatam optimè vidit. Quanta illa Tua elegantia oris, coram Majestate locuti! quantus libertatis à licentia distinctæ zelus! cum toties Nuntium Palatinatus ageres, munere flecti, adulari, & turpiter obsequi nescius. Praeclara sunt hæc, quæ in publicum profers, sed non minora ea, quæ limine tenes. Est magnum illud, quòd domi comis & humanus, nullius contemptor, virtutis cæterorum, Tibi inquilinæ, aestimator, moribus gravis & innocens, fallere, illudere, Te ipsum verbis venditare nescias; sed majus id, quòd

quòd ad Tui exemplum alios formes, optimus  
Dominus, felicissimus Parens. Ludunt innocen-  
ter in Tua Aula spes Patriæ, duo Iuli, IOANNES  
& CAROLVS, quos Tu Pater Æneas, & tot Avun-  
culi Hectores excitant ad optima sponte ruentes.  
Castorem & Pollucem dicerem; cùm & Sororem  
venustate formæ HELENAM, nomine & mori-  
bus ANNAM habeant; nisi scirem suisse TERE-  
SIÆ, CAROLI TARŁO, Cancellarij Regni Fi-  
liæ Natos. Multis illustribus dedecori fuit, incon-  
sultiùs Vxor assumpta; Tua, Principe sanguine orta,  
prudentissimè lecta, Tibi par cùm secundum vo-  
tum coronat, cedit in gloriam. Quid enim hac  
Pulcheriâ sanctius? quid verecundius? quid mode-  
stius? Formæ & animi elegantiâ sexum suum exor-  
nat; his tamen donis nunquam superbit, pietati,  
sanctimoniae, morum gravitati, quos & Cato cen-  
sorinus laudaret, intenta. Quantus Numinis favor,  
ejusmodi connubium? Nulla inter vos contentio,  
nullum certamē, nisi amoris. Suspicitis Vos invicem,  
invicem diligitis, eodem tenore vitæ, ut una utriq;  
esse videatur; pulcherrimo tamen inter vos discri-  
mine: Tu sociam communis felicitatis, illa Te Ca-  
put agnoscit, & ipsum Te reveretur, non fortunam,  
quæ ampla; non titulos, qui magni: raro exemplo,  
ipsi tamen proprio, cùm & ANNA sit, & LVBO-  
MIRSCIA; addam adhuc: Castellani Cracovien-  
sis, & Supremi Exercituum Ducis, simili Consorte  
olim gavisi, Filia. Tanto nomine Tuo, tantâ felici-  
tate omnia cùm excesseris, altiores honorum titu-  
los pati non vis; at scias hos sic irritatos con-  
spirasse, ut in Te, agmine facto, irruant: quorum par-

ti certè favemus, ac ut ingenuè fateamur, etiam vi-  
ctoriam optamus; ita tamen vincaris, nè unquam  
succumbas. Tot & tantorum Fratrum auget nu-  
merum WIELOPOLSCIVS, Regius, Marchio-  
num de Arquian, & Ducum Rohanensium sanguis,  
**IOSEPHVS** Comes in Zywiec & Pieskowaskała,  
**Capitaneus** Neoforensis, ingentium dotum, quas  
secum per Nationes exteris circumtulit, compen-  
dium; quibus omnibus modestia & pietas præemi-  
net, suadetq; ei, ut malit esse, quām videri laudati-  
simus. Ex hoc sanguine efflouit candidissimum  
**Lilium**, **SOPHIA**, **MICHAELIS SAPIEHA**,  
(Virum nomino, jam omnia decora dixi, quibus  
ille supereminet,) Notarij Campestris, Magni Du-  
catūs Lithuaniae, fidissima Conjur. In hoc Flore,  
ebore candidior puritas, dos suaveolentiæ, virtu-  
tum fragrantissimus odor ut omnes recreat, ita in  
sui cultum vel invitus provocat.

Iam clauderes Semideorum agmen **MAGNE**  
**PRÆFECTE**, nisi & Te Celsissimus Maternus  
sanguis ulterius proferret, & me in profundam ve-  
nerationem, jam demissè inclinatum abriperet. Hic  
preciosissimus, cùm cæteros, ut solet, liberalissimè  
locupletes reddat, solos Oratores inopes facit, col-  
lectam eruditionis gazam eripit, cogitata ingenio-  
rum excedit, mentium sese in encomia evisceran-  
tium ideas confundit; quibus lucubratione pallidis  
ruborem iniicit, velut exprobrando, non esse mor-  
tale, quod optant. Absorbentur hīc panegyres, &  
in profundum aðæ merguntur, nunquam tamen,  
quantumvis graves fundum attingunt. Quid mi-  
rum? **LBOMIRSCIANVS** est, ab alto dedu-  
ctus,

ctus, in immensum extensus, vetustate ipsâ pulcher-  
rimus. Nondum orbis adoraverat Romam; adhuc  
angusta pauperies tugurijs augustos Quiritum te-  
gebat animos, cùm LIVIORVM Familia emine-  
ret. (a) Hæc à Drauso hostium Duce cominus cælo,  
in cognomen Drusorum desinens, cum Claudio-  
rum Prosapia sibi adoptata eousq; se extulit, ut Iu-  
lio Cæsari, & Octaviano Augusto consanguinea,  
Romanis quatuor Imperatores dederit; tandem im-  
peranti Servio Galbæ, cæterisq; Augustis vi mili-  
tum dominantibus invisa, cum Aurelio Druso tyran-  
nidem fugiente, per Illiricum, Patriam Lechi, in  
Sarmatiam deflexit, ut cum eo prima Poloniæ fun-  
damenta jaceret: jecit, posuit, & ad hanc molem,  
quam orbis miratur, evexit. Sic Drusus Imperato-  
rum sanguis, olim in suis Avis per heroicis ausus,  
Germanicus, tandem Polonus; (b) solo diademate  
Majoribus suis minor, claritudinem tanti Generis  
per Posteros, primis semper honoribus insignitos;  
quorum Nomina, exigua hæc pagina non capit;  
longo ordine ad Heraclium Drusum, exercitūs Præ-  
fectum deduxit; hic per Filium NICOLAVM  
Palatinum Cracoviensem, ad Nepotem ADRIA-  
NVM de Lubomierz DRVSVM, Vexilliferum Cra-  
covensem, ut in ejus Natis, IOACHIMO, JACKO-  
NE, PRÆCLA O novum Nomen indueret, &, à  
reliquis quidem duobus aliter, à primo in Lubo-

G

mierz

(a) Suetonius.

(b) Lubomirscios ab Aurelio Druso Romano, Imperatorum Népote, Lechi co-  
mite, rectâ, & non interruptâ linea descendere, antiquissima authentica  
documenta probant: Diplomata à Principib; Poloniæ: Lescone Albo, 1206.  
Boleslao Pudico, 1257. Casimiro Magno, 1376. cum certis privilegijs; à  
Rudolpho Romanorum Imperatore, bona in suo Imperio emere ysdem  
concedente, data, manifestissime docent.

mierz Hærede, Castellano Woynicensi, LVBO-  
MIRSCIA diceretur. Hæc in PETRO Archiepiscopo Gnesnensi, IOANNE Castellano Wisliciensi, & PRIBISLAO, Comitibus LVBOMIRSCIIS refulxit; per MARCVM Palatinum Sandomiriensem propagata, hactenus regnantum in Europa Majestatum Solia, per TERESIAM Principem LVBOMIRSCIAM, Serenissimo CAROLO Principi Electorali Neoburgico, Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium Duci, Supremo Tyrolensis Comitatûs Gubernatori nuptam, attingens; in MICHAELE I. Rege olim nostro, ex nexu proximi sanguinis coronata colitur. PAVLVS Palatinus Lublinensis, quid sit LVBOMIRSCIVM esse, ostendit Filio ALBERTO Succamerario Cracoviensi; hic suo, IACOBO Castellano Sandecensi; omnes Patriæ. Eâdem Sandecensi Purpurâ insignis SEBASTIANVS non erubuit, cùm videret sanguinis sui unionem, CLEMENTEM Castellatum Cracoviensem, secularis Senatus Principem, binâ prole beatum. IACOBVS inter arma consenuit, annis & meritis maturus; LIVIVS NICOLAVS, Archiepiscopus Gnesnensis, literis, & zelo Religionis innutritus, in Concilio Constantiensi Legationis munere funditus, Druso-LVBOMIRSCIANI nominis splendorem auxit; horum Pronepos, IOACHIMVS Capitaneus Jaslensis, Legionum Præfectus, SIGISMUNDI AVGVSTI, & virtutis amor, non diminuit, ut eandem in Filium SEBASTIANVM, Comitem in Wisnicz & Jarosław LVBOMIRSKI, Castellatum Woynicensem transferret. Hic antiquâ fide Senator, Comitis

mitis de Ruszca, BRANICII Gener, eò felicior  
Pater, quò fecundior; magnorum Heroum per Fi-  
lias: CATHARINAM, IOANNIS Ducis in  
Ostrog, Castellani Cracoviensis; SOPHIAM, NI-  
COLAI OLESNICHII, Palatini Lublinensis;  
BARBARAM, IOANNIS ZEBRZYDOVII,  
Ensiferi Regni; CHRISTINAM, STANISLAI  
KONIECPOLSCII, Castellani Cracoviensis, Su-  
premi Exercituum Ducis, dignissimus Socer; per  
LEONORAM, austeræ vitæ innocentia, & mira-  
culosè in agone vitæ, sacrâ Synaxi porrectâ, in com-  
munem sanctitatis opinionem, deductam, ex erga-  
stulo virginalis corpusculi hactenus incorrupti, ad  
castissimas nuptias Agni cælestis vocatam, grande  
Olympi delicium. Quidni & per seipsum Empy-  
rei Civis? quod in terris non minore pietate, quam  
sumptu, sibi propitium reddidit. Magnificum illud  
Magni ROMVALDI, super argenteo monte Asce-  
terium, quòd sit Colonia Angelorum, & Cæli sub-  
urbium; apparatus tot Ecclesiarum, quòd suo pre-  
tio fulgeant; in Cracoviensi Dominicana Basilica,  
Sacrarium, quòd dote dives, opere materiam supe-  
ret, ipsi debent. Et si laus Patris in Filiis; SEBA-  
STIANI in STANISLAO, & IOACHIMO ma-  
xima. Hic Dobcicensis, Lipnicensis, Timbarcen-  
sis Capitaneus, reptare per scuta puer, eā manu, quā  
cæteri gestant crepundia, stringere ferrum assuetus,  
prætextæ sagum superinduit, sanguinem fundere  
pro Patria paratus, priusquam alijs peccantem in  
venis minuere licet. Iuvenis Heros dum ad Smo-  
lenscum excubat, occumbit, & vi febris, castrensi-  
bus incommodis accensæ occidit, qui manu hostis

occidi non potuit: Ille Terrarum Russiæ, mox  
Cracoviensis Palatinus, orbi regendo par, quid fe-  
cerit; tota Christianitas novit, & stupenda ejus ge-  
sta annuatim celebrat, addito Vniversalis Ecclesiæ  
testimonio, ut fidem apud posteros, alias non cre-  
dituros inveniant. Orientis Regnator, bellua par-  
ricidiorum furijs agitata, Gentium heluo cùm tot  
Regna absorbuerit, ferarum innumera millia ex Li-  
bycis saltibus, & Ponti desertis; ac quidquid ad  
Caucasum, & montes Riphæos, aut in roseo Auro-  
ræ cubili stertit; quidquid Nilo, Gange, Euphra-  
te tumescit, thura Sabea olet, aut Arabicis latitat in  
antris; quidquid deniq Machometico furore ebri-  
um lascivit, in nos, malè Othomanis vicinos, sacra  
profanaq; polluturus, mactaturus, ad Chocimenses  
Thermopilas traxit. Iam rumor animos multo-  
rum vicerat; luctus, ubiq pavor, & plurima immi-  
nentis mortis imago etiam audaciores perterrue-  
rat; LVBOMIRSCIVM animosiorem fecit. Ivit  
audax & prudens, virtute, non numerō pugnaturi  
exercitus, morte CAROLI CHODKIEVICII, to-  
tam vincendi gloriam sibi relinquente, Supremus  
Imperator: decies infestam aciem opposuit, decies  
vicit; toties à castris summo impetu furem ar-  
matum, clade suâ confusum repulit, toties barba-  
rorum castra invasit; ubiq; Dux magnus, ubiq, mi-  
les strenuus, linguâ tonans, manu fulminans, utrāq;  
Commilitones erudiens, donec sexaginta millibus  
cæsis, pluribus lue, vigilijs, inediâ consumptis, fracta  
OSMANI superbia, insolito seculis exemplo, ami-  
citiam & pacem, quas insolens & ferox excusserat,  
petierit, & ab assueto parcere subjectis, & debella-  
re su.

re superbos Duce obtinuerit. Quanta dexteritas! quantus triumphus! quanta gloria? Vnus tantum effecit, quantum universi dignè laudare non poterunt. Ad Chocimum profligavit Ottomanum orbem; tota Christianitas defensa triumphat. O Heros! plus fecisti, quam alij legerunt; paucis mensibus tot seculorum historiam dedisti. Cæteræ expeditiones, & prælia, quibus interfueristi, Te victoriosum fecerunt, Chocimense gloriosum: Tibi tot Capitum, Patriæq; salus, tantiq; triumphi decora, secundum Deum immortalem accepta feruntur. Vincere hostes, Numen devincere scivisti; ut pataret, quanto amori Tibi Religio fuerit. Testantur, Præpositura, & cum suo Carmelo Basilica Wifniensis, quas sumptu verè regio, et si hoc titulo dignus, vitiō seculi carueris; Lubartoviense Vironum, Cracoviense apud S. MARIAM ad Nives, Virginum, Dominicana Cænobia. ( taceo cæteras curis animarum invigilantes Ecclesiæ ) Omnia hæc à fundamentis erexisti, amplâ dote, ornamentis, pretiosa supellectili decorasti. Quid superfuit? imò quid defuit, ut ad summam gloriam adderes? cuncta fecisti: cælo ex debito, Patriæ ex officio, omnibus ex comitate. Cælum Te coronavit, Patria veneratur, universi colunt; solus hostis tremit, & timet. Quid ni timeat perennantem in Posteris Heròem? ALEXANDER, GEORGIVS, CONSTANTINVS non vana præcelsæ claritudinis Nomina prætulere. CONSTANTINVM, Regni Pincernam, Patriæ salutarem ambrosiam galeis porrigentem, fati ales velut alterum Ganimedem, sed sanctiorem, nimis citò terris eripuit, ut Cælo traderet, vero ac summo

H

Tonanti

Tonanti famulaturum. ALEXANDRI, Comitis  
in Wisnicz & Jarosław, S. R. I. Principis, ( hoc enim  
vetusto Cæsarum sanguini, & STANISLAI meri-  
tis, à FERDINANDO III. Imperatore datum, à  
Filijs acceptatum ) Palatini Cracoviensis cordatus,  
generosus, utrāq fortunā major, gravis, & prudens  
animus, eò tantūm ferebatur, quò boni publici pón-  
dus, & honesti amor inclinabat. Hujus pietas, comis  
affabilitas, sine cæterorum contemptu magnificen-  
tia, per Filium JOSEPHVM, Archimareschalcum  
Regni aucta, in Nepotem sibi cognominem, San-  
domiriensem, Zatoriensem, &c. Capitaneum, cùm  
defluxit, famam se Principe dignam acquirit eundo,  
eò evidentiūs, quò sub Serenissima affinitate splen-  
didiūs.

Imparis Fratrum numeri, ideoq; divini, medius,  
grande decus, columenq Patriæ, & ( si invidia ab-  
sit ) Tutelaris, GEORGIVS Comes in Wisnicz &  
Jarosław, S.R.I. Princeps. Supremus Poloniæ Ma-  
reschalcus, & Exercituum Dux, bonorum commu-  
nis amor, ipse optimus, dictionis meæ filum, cogi-  
tatione magnitudinis suæ intercidit; devoto silen-  
tio à profano Oratore colendus. Purpurā & Sceptro  
dignus, nisi eadem servare potiūs, quām habere con-  
tentus, suo exemplo probāset, majus esse Regna  
mereri, quām possidere. Quot hostes erant nobis,  
( erant autem, fatis inquis, undiq; convolantes ) tot  
vicit hic Imperator; qui aut suā pertinaciā vitam  
amiserunt, aut ejus misericordiā, quā etiam victor  
esse voluit, retinuerunt; illis sanguinem, his pudo-  
rem suffundendo. Moschos, ad Cudnow sexaginta  
millibus, aut cæsis, aut sub jugum missis, viciniæ;

Cosacos,

Cosacos, ad Piatkow & Slobodyszcze, quadraginta  
millibus eodem modo debellatis, obedientiae admo-  
nuit; Transylvanos, Scipionis more, Annibalem,  
Italam devastantem in Africa vincentis; quid sit  
immeritam dare injuriam; domi, ferro, & igne do-  
cuit: ad Ostrow viginti millibus deletis, quosdam  
tantum cum fædifrago Principe dimisit, ut Nuntij  
ejus magnitudinis, & suæ cladis discerent justitiam  
moniti, & non temnere Divos. Harpias Taurica-  
nas suis in mappalibus, famâ gestorum continuit;  
Odrysium Tyrannum, adhuc sua vulnera ex Cho-  
cimensi clade lambentem, solo nomine cōercuit;  
sævas Vandalici Neptuni procellas vindice ferro ca-  
stigavit; exactam Regnō Majestatem intrepidus,  
paucis audentibus, cæteris, amissio colore, & animo  
pallentibus, & velut capto à Gigantibus Cælo, in-  
varias formas, dedecorâ metamorphosi sele transmu-  
tantibus, restituit; omnibus tandem, tam quibus sa-  
lus, quam quibus gloria carissima fuit, sumere ani-  
mum persuasit, rei Polonæ Stator; deniq; simul su-  
is virtutibus simul vitijs aliorum, invidiam contra-  
xit. Nempe suis meritis cuncta præmia cùm ex-  
cesserat, odium attigit; solito mortalibus ingenio,  
odisse, quem præmiari nequeunt, aut læserunt.  
Exagitata ejus patientia vincere novit, triumphare  
nunquam; cogere tamen in pænitentiam facti, læ-  
dentium conscientiam, optimè; qui post funera,  
fænore dupli tanti Viri auxerunt gloriam, quam  
viventi extorquere conabantur; lachrymis paren-  
tantes mortuo, quas odio elicuisserunt superstiti, si  
flere animus, adversis æquè ac prosperis frangi ne-  
scius potuisset. O virtutem constantem, immotam,  
& in Filijs pulcherrimè efformatam!

STA-

**STANISLAVS** Archimareschalcus Regni, animi  
prudentis, sedati, sapientis, imperterriti genuina  
imago, tantum gloriæ, Polonæ Genti dedit, quan  
tum illa optare, sed vix sperare præ magnitudine  
potuit. **Caput**, Musarum delicium & sedes, eò emi  
nentiorem eum reddidit, quo cæteris doctiorem;  
**ex quo** Pallas nasci poterat, si jam de lovis cerebro  
nata non fuisset. Scipionem ejus, Caduceum Mercurij  
dixisse, nisi simul & Astræa sanctissimè ab eo cul  
ta eundem sibi vendicâsset; cunctis, ut utriusq; in  
signe esset, unanimiter decidentibus: sicq; credet  
non sine stupore posteritas, cum tot exquisitissima  
opera, luci & bono publico data leget, & justitiæ,  
nec prece, nec munere flecti, nec ipsius Majestatis  
splendore perstringi solitæ actus recensebit, ad si  
miles omnium conscientiam provocando. Vidis  
ses illam sapientissimam Animam, cunctis cedenti  
bus incedentem! audivisses in Senatu oracula lo  
quentem! advertisses, ne sumnum jus, summa in  
juria fieret, reverenter, audacter tamen prohiben  
tem! ne libertatis pupilla, excellenti sensibili læde  
retur, præcaventem! Cælo delapsam & bono Patriæ  
datam, ut tenemus, affirmâsses. Magnus Senator,  
non minor Pater, in magnanima Progenie visendus.  
**Amazon Sarmatica, ANNA, Fabij Lechici, ADA  
MI de Granow, Comitis in Myłz & Szkłow SIE  
NIAWSKI, Castellani Cracoviensis, Supremi Exer  
cituum Ducis Consors, altius famam suam pulcher  
rimè extulit, quam ex toto videri queat. THE  
ODORVS Capitaneus Scepusiensis, animo imper  
territus, manu validus, consilio potens, tam prope  
Cæsarum cordi accessit, quam remotè suas copias  
duxit,**

duxit, ut pro Augustis pugnaret Princeps. FRANCISCVS, & IOSEPHVS, Legionum Præfecti, virtute, & Celsissimis titulis graves, heroicis passibus in altum honoris gradiuntur; quibus ille occurrit, pretium sibi aucturus.

HIERONYMVS Castellanus Cracoviensis. Supremus Exercituum Dux, Heroum exemplar & gloria, olim multarum Legionum Præfetus, Orbi Christiano tantum profuit, quantum Viennæ. Vingt prope particularium conflictuum victor, generali victoriæ, cuius quoq; auctor fuit, dexterime prælufit, pulcherrimamq; fecit antonomasiæ, ut, quoties barbarorum flagellum dicitur, ille intelligatur. Si in tempus illud incidisset, quod victoribus erat in triumpho honor, quas Gentium acclamations, quæ celestis audivisset / quos arcus triumphales, quæ trophæa numerasset! Ille Machometicam superbitam fregisse contentus, triumphum, & fructum victoriæ, Christianitati, gloriam Patriæ reliquit; cuius amore, voto LEOPOLDI Imperatoris non respondit, se ad Supremā Exercitūs Imperialis Præfecturam vocantis; optimè judicans, plus se Natali solo deberet, quam exteris, & sibi. Vnde redux tot laudum titulis non insolens, dubium reliquit, plasne Martiali spiritu, quam eleganti animo valeret, utroq; præstantissimus. Vkrainensis Hydræ domitor, Moschuæ terror, furentis ab Aquilone Gottico, mali compressor, indefatigabilis, & solo labore refici visus, hoc non nisi curavit, ut sibi opus & labor, Republicæ merces, & quies, sua cuiq; redderentur. Morbo afflictus maximum dolorem sensit, videns Poloniam suum pretium amisisse, quia Civium un-

onem; clausit in æternam lumen noctem, nè amplius jus datum sceleri intueretur. At nè totaliter Patriam deseruisse videretur, Filios Principes ejus commodo dedit: **GEORGIVM** Capitaneum Bohuslaviensem, Legionum Præfectum, suo spiritu in ardua & fortia quæq; animatum; cui honor defixus in armis, in Patria amor: **IOANNEM** Equitem, Melitensem, & **ALEXANDRVM** Capitaneum, Smotricensem, magnæ semina virtutis sub exotico sole maturantes; Filiarum quaternionem decori; quæ venustatis innocentiam constanti prudentiâ, augent; nec mirum: ex Constantia natæ.

**ALEXANDER** Capitaneus Sandecensis, Tuus **MAGNE PRÆFECTE** Maternus Avus, suo nomine major, & si fata permisissent, futurus maximus; vastis virtutum passibus properavit, ut immensum gloriæ conficeret iter, & quasi brevis vitæ præscius, tempestivè metam occuparet, quam alij diducto ætatis spatio attingunt rarissimè. Celsissimam sanguinis **SAPIEHANI** Nympham ad sui Srzeniavæ undas, sacro fædere allegerat, ut in premium Patriæ depromeret Vniones. Prodigere inæstimabiles, Diademati Principum, quô inumbrantur; accommodi, Regibus amabiles. **GEORGIVS** Castrorum Regni Metator, Capitaneus Sandecensis, vera Martis imago; nisi hic ex illo pingi vellet, ut augustior appareat; assiduus adest castris, rarissimus urbi, vel si contingit; deposito Martiali supercilio, eodem animo vincit corda comiter, quo hostes consuevit audacter. Imperatorum Romanorum amor, pro quorum gloria Imperij Princeps, Generalis Legionis Præfectus, eò felicius, quò strenuius militat; sic palmam

palmam Patriæ, quam toties consilio prudentissime,  
manu dexterime juvit, sub exotico cælo decerptam  
porrigendo. IOSEPHVS Nominatus Episcopus  
Chełmensis, Abbas Tynecensis, vitâ innocens, pro-  
culab ambitu, sub præcelsa Consanguinitatis Arbores  
umbras modestiæ dilexit, sic tamen pulchriùs eluxit,  
ut solet cynosura ad Arcton. quippe nemo splendi-  
diùs apparet, quam cùm ita latet. Hujus dexteræ cùm  
Roma porrigeret Pedum, inseruit Libytina cupres-  
sum, ut Cælum pro Tiara, & domestico Diadema-  
te coronam daret. MICHAEL Subdapifer Regni,  
Capitaneus Pereaslaviensis, animi elegantis medulla,  
optimas artes, quibus Europa meritò superbit, eru-  
ditissimâ mente complexus, consilio validus, pru-  
dentiâ sublimis, comitate insignis, generositate ma-  
gnificus, Patriæ tutela & decus, quidquid agit, ele-  
gantiam seculi sapit, æternitatem meretur. In bo-  
num publicum evisceratus, in DEVVM totissimus;  
quem ut domesticum haberet semper, basilicam ei  
domi suæ dicavit, ingenio proprio mirandam, lar-  
gâ pietate insignem, artificis manu superbam. Si ei  
omnia adlunt bona, cui Deus; quid Tibi deèrit  
o Princeps! cùm in ejusmodi sanctiore Arca Nu-  
men possideas. Noscet Te posteritas æternitati in-  
sertum, famam Tuam adorabit, quam in templo  
locasti. Mentem meam everberat tantorum Fra-  
trum Germana Gloria, orbis Lechei Luminare ma-  
jus, Tua MAGNE PRÆFECTE Celfissima Pa-  
rens, ANNA de Lubomierz, Comes in Wisnicz  
& Jarosław MAŁACHOWSKA, S.R.I. Princeps,  
Palatina Posnaniensis, Łukoviensis, Krzeczoviensis  
Capitanea, (cur titulos numero, quibus est major?

ianuo tamen, ut pateat, quos superet ) sublimibus  
ingenijs eminentior, aureo eloquio pretiosior, se-  
xus sui decus, nisi eundem excedere videatur, mor-  
rum gravitate, firmâ constantiâ, solidâ prudentiâ,  
eruditis acroamatis, & innatâ suæ Stirpi generosita-  
te, adeo, ut virtus seipsum miretur, quod tantum  
possit, in tam delicato subjecto. Quid illa ejus, na-  
turæ beneficio collata majestas; & species digna  
Imperio! quæ occultâ vi quadam, suaviter reveren-  
tiæ admonet intuentium animos, simul mirâ comi-  
tate permulcet, utrâq; potens. Certè si adhuc mor-  
tali ingenio, ut olim, Numina in terris crearentur,  
Deam crederes; nunc Mulierem fortem, cuius pre-  
mium inæstimabile, non Patriæ tantum, etiam ulti-  
mis Europæ finibus notum noveris. Quid illa pru-  
dentiæ vis! quæ rerum peritiâ, Annalium memo-  
riâ, judiciô arcana penetrante, stupenda, cùm suavi-  
oris sono, & nunquam ad mollitem fracto sese ex-  
plicat, oracula fundit, audientes attonitos, & dicto-  
rum gravitate tacitos, quos alibi Historicos dixeris,  
reddit. Mirere magis: multiplici idiomate loqui-  
tur, sic tamen linguam dirigit, ut unius cordis inter-  
pres fideliter explicet intus latentia, nemini mole-  
sta. Hinc ille Principum, Procerum, Illustrium se-  
xus sui Personarum, Magnorum Nominum domi-  
suæ, quam sanctitate morum, familiæ modestiâ, pe-  
nne religiosam fecit, undiq; concursus; quibus tantæ  
dotes sunt in veneratione, & collecta decora, quæ  
divisa, & singula cæteris sufficiunt ad gloriam, in-  
stupore. Horum omnium magnitudine sublimis,  
non elata, tantorum ornatorum serenita-  
tem, velo modestiæ tegit, ut eam solem dicere possis

sub

sub nube latenter, eò gratiorem, quòd oculos spe-  
ctantium non lædat perstringendo. Quid Religi-  
onis ardentissimus zelus! quid pietas! quid reliqua,  
quibus præeminet, virtutum cohors? Ejus liberali-  
tas lucet in Aris, quas aut largâ manu dicavit, & do-  
ravit, aut antiquas decoribus auxit, ac ut ad easdem  
ornatiores Mystæ pretiosius accederent, fecit; in  
templo, quod honori Numinis, commodiori subdi-  
torum devotioni erexit, omni apparatu donavit,  
colitur; ex sacris Asceterijs, Orantium voce, quos  
annuatim nutrit, in cælum effertur; in Nosocomijs,  
quibus vel suum cum dote dedit esse, vel jam illud  
habentibus abūdè providet, beata redditur; ad Sacros  
**Divinissimi IOANNIS CANTII** Cineres, quibus  
argentô parētavit, miraculô, fasciati olim sui Infantis,  
Libytinæ erepti, nunc in magnam Ipem Patriæ cre-  
scentis, provocata, effulget; æternitati nubit, cùm  
nobiles Puellas ære suo à teneris in pietate, & arti-  
bus sexui congruis exercitas, aut cælesti Sponso, aut  
mortali, sacro fædere jungit, virtute propriâ, at suâ  
dote, & muliebri mundô commendabiles. Sanè  
cùm omnium animos sibi devicit, in opia bellum  
indixit, quam ubiq profligat, & nè, in publico fra-  
cta, suis in angulis ferox desæviat, tempestivè oc-  
currit, dum miseris succurrit opportunè. Hic quo-  
tidianâ annonâ alitur, ille obvius, oneratâ, stipe ma-  
nu, gaudens recedit; hi limina obsident, nunquam  
tamen diu, quos citò, querulas voces non ferens,  
lætos omnes dimittit; alias, quibus gravior rubor,  
quam paupertas, munificentâ prævenit, eò gratiore  
quòd occultâ semper sollicita, nè quis egeat. Quid  
ille in subditorum, candidâ simplicitate, se Matrem

K

vocantium

vocantium agmina misericors amor! neminem  
foribus arceri jubet, neminem ad pedes jacere pati-  
tur, gementem querimoniam, querulam egestatem,  
ad aures admittit; parum est admittere: utriq; sub-  
venit, omnibus non exorata, more solis exoritur;  
nè arma tenentis militis licentia, omnia cum rapu-  
erit, adhuc inopiae minans, augeatur, obviat, lytrum,  
aut cætera tam nunc numero, quam nominibus olim  
carentia, extorsionum onera, egenæ innocentiae im-  
posita exsolvendo. Curarum mole, quarum in Cu-  
ria sedes, difficulti hoc tempore, auctâ major, mirâ  
activitate ardua superat, intricata resolvit, cuncta  
prudenter, & suavi facilitate expedit: unde Aulæ  
ordo, in qua nemini impune peccare licet; & rei  
familiaris augmentum. Quidquid otij naœta, (Di-  
vina non tango, quæ omnibus præponit) aut suo  
Gynecæo, pensa data absolventi, spirituali prælecti-  
one laborem minuit, aut Annalium volumina ma-  
ximè sacra revolvit, aut torta versato dicit stamina  
fuso, quibus Aras exornat, aut super mappa mundi,  
orbis, quem fortuna casibus rotat, volubilitatem per-  
pendit, ut & sic ijs, quæ mutari nequeunt, animum  
pascat. Certè vitam momentis auro notandis transfi-  
git, quæ semper ad æternitatem collimant, nunquam  
sine virtutis linea. O sæculi nostri decus, securi-  
rorum invidia! ô virtutem, tanta prodigia in delica-  
to sexu patrantem! Mirabuntur posteri: alij fidem  
Annalium in dubium vocabunt, credent tamen  
candori, mentiri & adulari nescio; alij sua tempora,  
malè sibi propitia incusabunt. Matres ad hoc exem-  
plar, crescentem Natarum ætatem efformabunt;  
omnes in videbunt, laudare tamen non cessabunt, nè in

virtutem

virtutem peccare arguantur. O beatam tantæ Parentis Sobolem! Tuâ, MAGNE PRÆFECTE, magnitudine provocâsti honores in certamen, qui de Te contendunt, & Te avidius expectant, quam olim solem in Phænicia servi. Crescis in cōlumen & ornamentum Patriæ super Helicone Academico, plaudentibus Musis, quarum es gloria, in ætatis flore fructum præferens, annis Tuis major, quos magnis dotibus superas, virtutum non temporum momenta numerans, IOANNES de Małachowice MAŁACHOWSKI, Episcopi olim Cracoviensis, Ducis Severiæ, Paterni Patrui, nominis hæres, & ex toto imago; Patris STANISLAI Palatini Posnaniensis, Łukoviensis, Krzeczoviensis Capitanei, per pacta Carlovecensia, quorum Magnus Legatus, fuit pars maxima, pacis Authoris, arte & Marte Orbino-tissimi vita. Fratre Tuo non minor CAROLA excedis angustos corporis Tui limites ingenti spiritu, nativum rosarum & liliorum extinguens splendorem venustate, excitas stuporem politarum artium multiplici peritiâ, alloqueris famam quatuor idiomatum (etiam in hoc Germano Tuo par) elegantiâ, cælum Tibi inclinas pietate, devincis omnes prudentissimâ oris suavitate, allicis in æstimationem Tui, modestiâ. Magnus hic laudum Vestrarum cumulus, at ex tanta Matre sumitas; cuius est, quidquid in Vobis miramur. Natura Vos flere voluit, antequam possetis sentire amissos Patres, Filij; dolorem Mater ex morte Parentis Tui conceperat, priusquam Te peperit, Filia; adultas curas sustinuit, cum Vos omnes portaret infantes; ut ad hanc virtutis molem, quam eminetis, deduceret. Infudit

in Vos suum, & Majorum Vestrorum spiritum, ut ad magna animaret; felici successu, quô jam vota sua coronat; & nè soli Honori Vos commendâsse videretur, etiam Fortunæ favori admovit; quam volubilem retinuit, & hac temporum tempestate, paucis, ijsq; armatis propitiam, Vobis conciliavit, cùm ingenti proventu auxit. Videtis quantum una fecerit Vobis omnibus; quantum uni omnes debetis, perpendite: perpenditis, amorem reverentia pensatis. nihil votis relinquitur, nisi ut tantus Patriæ honor, tanta Vestræ gloria, tantum generis humani delicum Vobiscum perennet. Huc omnium suspiria collimant; ego meum effundo: tantâ Matre spectante, *Dij Patrij servate Domum, servate Nepotes.*

FRANCISCVS & GEORGIVS, duo fulmina belli, & ingentis magnanimitatis exemplaria: Ille olim Capitaneus Olsztinensis; respuente titulos virtute, quod pares habere nequijt; coram Europæ Gentibus Nomen Polonum portavit, gloriâ, quam arma pariunt, auxit; Hic Succamerarius Regni, Olsztinensis, Casimiriensis Capitaneus, grande Magni Parentis Nomen meritis adimplevit, ut in illa ejus vastitate, nihil vacui reperires. Princeps animus heroicis ausibus, & generosâ humanitate, cùm corda cæterorum ad se traxerit, mentes militum, quibus præest, aut, ut omnibus præsit, desideriū movet, confundit, dubitantium, plusnè amari, quam timeri mereatur: quanquam ipse dubium resolvit, metum in hostes, amorem in Heroum pectora transfunden- do, sine authoritatis dispendio, quam officio retinet, periculorum aggressione auget, ubiq; primus.

Tam

Tam ingentia Domus Tuæ decora, ILLV-  
STRISSIME PRÆFECTE esse novi & dixi, ex  
toto videre non potui. Tantorum Luminarium  
concurrus aciem ingeniorum hebetat, mentium pu-  
pillas percellit, satis sibi gloriæ ratus, lucere cæteris  
& prodesse, etsi cerni cum sole nequeat. Quidquid  
tamen à longè ex Vmbris Academicis reverenter  
advertisi; rudi stylo expressi, cujus artificium materia  
exornat. Quidquid retuli, tantillum est, & jam  
tot seculorum sese implicuit gloria, tot Serenitatum  
innexuere tituli, tot Prosapiarum immiscuere splen-  
dores; & adhuc accedunt primæ magnitudinis in-  
Orbe Sarmatico Sidera, nexu Celsissimi Sanguinis  
mota: CHOMĘNTOWSCII, PRZERĘBSCII,  
SZEMBECHII, PIENIASKII, POTOCII; Duces  
WISNIOWIECHII, RADZIVILII, SANG-  
SCONES, & in OSTROG; LIGEZII, LIPSCII,  
ZEBRZYDOVII, POŁVBIENSCH, CHOT-  
KIEWICII; & si ab alto perpenderis, huc ibit tota  
Lechicorum Astrorum Cochors. Singula hæc co-  
gitationes ingeniorum excedunt, in Te claudun-  
tur, & sese depingunt, ut in Pantheo Numinæ. O  
stupor! quanta animi Tui amplitudo! quó cùm  
Maximorum Majorum comprehendenter Imagines,  
adhuc locum reliquisti vastum, & Tui capacem. Di-  
sposuisti in Te, pulchro ordine tam exquisita Exem-  
plaria, ut ijs intentus, ex omnibus magnificam su-  
meres ideam, juxta quam Te, proprijs meritis, &  
ingentibus dotibus pingeres, explicares. Pinxisti  
optimè, & adhuc lineas ducis; explicuisti latè, &  
adhuc spatiū poscis, ut perfectissimum opus, & mo-  
le suâ immensum, æternitati talium avidæ compre-

L

henden-

hendendum exponas. Æmulari naturæ, Tibi propitiæ, virtus in Te videtur, parum se dedisse rata, si communia dona tantum, nisi faciat prodigia. Illa Te subtili ingenio, profundo judicio, agili gravitate expeditissimum, generosâ indole magnificentissimum fecit; hæc optimum. Nondum tenellus do tes Tuas loqui poteras, & jam fronte explicuisti, facile percipientibus, qualis es futurus. Innoxia, molli tactu lambere flamma comas parvi luli, & circum tempora pasci visa, ejus futuræ præluxit magnitudini, & pavidos suorum ad meliora accen dit animos: aquilæ, nascentis Alexandri ædibus insidentes, orbis Dominum adorârunt: Alcidæ manu in cunis elisi angues, monstrorum domitorum indicârunt; Te efformata in Tuo vultu indoles in omnium animos intulit, ut ibi magnus es, antequam ætas pateretur. Quippe sunt quidam naturæ characteres, quibus secreta futurorum revealat, ut nosci possint, priusquam per seriem annorum evolvantur. Catonis gravitas in cunabulis patuit Druso, Cassij pro libertate zelus, Pompejo, Marij prudentia Scipioni, Pompeij magnitudo Syllæ; Tua omnibus: alijs naturam incusantibus, quod Te tardè commodo publico dederit; cæteris excusantibus, cum moram expectantium desiderio gravem, & longa fastidia, augusto munere per Te compensavit. Explevisti cunctorum vota, & cum evolve re Te fascijs non poteras, ora cæterorum resolvisti, jam merita Tua futura numerantium, jam honores Te expectantes longo syllabo enuntiantum, communissimè tamen asserentium, secula laborâsse, ut ejusmodi nascereris. O si per ætatem licuisset! vidisses

vidisles ad Tuas cunas concursum, cum super pura aureis limbis gravi, stragulâ vel Te ipso superbâ, leviter oneratus, certatim venientium oculos passeres, animos satiares; advertisles longum famulantis Aulæ ordinem: hic, nè Soli, curiosius Te intenti pateres, fluitantia molli serico, reducebat sifaria, hic pulvinos, cygnorum exuvijs tumentes submovebat, hic ventilante flabello æstum temperabat, hic, nè stridor cardinum soporem Tuum turbaret, vigilabat, hic nutus Tuæ commoditati studentium observabat: diversa officia erant, unus omnium alacris animus. Crevit Tecum indoles, semper tamen ætate major; in prætexta bullas & crepundia contemnendo, matura ostendit, virtutem non expectare corpus, ut se extendat; quæ in decensi Papirio patrat miracula. Hæc Tibi sine doce, sine coronamentis, satis seipsâ coronata, divitijs animosa luis dux erat, ut sponte pulcherrima rerum velles, & illuc sine stimulis ferreris, quò non nisi principes animi solent. Parnassum Academicum Carpatho dimoveras, Musis Jagelonicis ultro sequentibus, Hypocrene relictâ; cum Domi Pegasum haberes, qui doctas Vndas excuteret; & in Matre Minervam. Exemplis aliunde petitis non egebas, ut erudireris, ad accensas Majorum Ceras vidisti, & in Te traduxisti, quæ sunt optima, hæc facilitate, felicitati & gloriæ Professoris consulendo. Mens Tua verè aurea, & in laminas recti duci facilis, timorata, generosa, omnium capax, vitia si exceperis, effecit, ut prudentia ad Te juvenem veniret, quæ juvenes fugit; ut humaniorum Musarum receptaculum esses, quæ raro à Parnasso dimoveri patiuntur. Nihil

erat difficile, quod non perceperis ingenio, nihil abstrusum, quod non penetraveris judicio, omnia suaviter in Te complexus, adeo, ut arcana Apollinis cæteris sacra, & non tangenda viderentur, Tibi vulgata. O quot gaudia! quot dulces lachrymas, quæ in Tui amorem accendebant, Tuis Chironibus eliciisti, felicior Achilles; cum eorum cogitationes prævenires, spes de Te conceptas maturares, vota, citius, quam sperare poterant, adimpleres. Catenabas animos ligato eloquio, resolvebas in plausus solo, ex utroq; nemini herbam porrigendo, ut ipse palmam haberet. Difficilius Iibi erat annos Tuos quanquam paucos numerare, quam Annales percurrere: (parce conscienti, secreta Tua revelanti) legisti, audivisti, altâ mente reposuisti, orbi historiam de Te datus. Bibisti ad satietatem ex doctis Fontibus, nunquam tamen ad tumorem, quem nec Altus Sanguis inducere potest. Numerasti per Falces Avos, ut imitareris, non ut jactares, semper à modestiæ arbitrio dependens; quæ se pingit in Tuo vultu, & tantum sanguinis in ore relinquit, quantum in animo pudoris. Meminisse juvat illam Tuam magna spirantem indolem, nunquam ludicris, nunquam Lemoribus occupata, semper aut cum paribus honestissimè conversatam, aut cum Augustis prudentissimè locutam. Perrumpebas agili ætate adstantium turbas, & inter Procerum Ordines Te insinuans, Majestatis throno adrepebas, olim pro eo, & ab eo locuturus; unde ille Regis in Te amor, & Tui, toties mensæ suæ admoti, ex magnis dotibus æstimatio. Gallia, Germania, antiquum Latium, recens Italia de Te Ponono

b  
a.  
is  
ll.  
æ  
i.  
es  
a.  
a.  
o.  
se  
os  
r.  
n.  
ni.  
ex  
L,  
e.  
a.  
se  
e.  
e.  
n.  
ii.  
m,  
er.  
er  
no  
de  
ad.  
er  
'o.  
  
Iono certabunt, quas perfecto earum idiomate nunquam bilinguis provocasti, antequam videras. Prius illuc famam præmiseras, quam Te ipsum ostendisti, notus celebritate nominis omnibus, antequam vultu. Lustrasti Principum exterorum Aulas, quas domesticas putasti, appellas inibi Majorum Tuum imagines observando. Nulla Tibi non patuit, cum & corda reserares, os humerosq; Proavis, Avis, jam ubiq; notis simillimus. Vix ad Liliotum Regnum venisti Hyperides, jam Gallicanus Hercules dicebaris, cum animos omnium Tibi attraxisti. Principes, & Proceres intelligo; vulgus enim stupore victum reliquisti. **LUDOVICVS MAGNVS**, Regum Apex, & gloria, eodem animo Te amplexus est, quo olim Avum Tuum, Magnum Legatum exceperat; Polonum æstimatione, Indigenam ( hoc enim ibi WIELOPOLSCIIS privilegiò datum ) amore prosequendo. Latus Tibi tanti Monarchæ patuit; quid mirum? cum & cor apertum esset, ex quo spiritum illum vastum, quo ille orbem complexitur, hausisti, ut Patriam redux animares. Quid ille Principum Sanguinis in Te amor! eo loco Te dignantium, unde cæteris surgebat invidia; quamquam & hæc vita ultro cedebat, ne contra torrentem dotum Tuarum niti argueretur: quis enim vivescere potest? quod stellæ luceant, & noverit omnia Phœbus. Quisq; illustris, quisq; optimus Te vide-re, Te amicum habere cupiebat, & cum habuit, exsatiari nequibat, cum desideria accenderes, plura in Te mirantium, quam capi poterant; ut sic eis satiate parare famem, & curas augere, ne Te amitterent, videreris. Multi petunt exotica climata, ut,

M

quomodo

quomodo sub alieno sole caleant, non quid callent, experiantur, ardorem illicitis accensum, quô Patriæ amorem extingunt, reduces allatur; aut Iudicris animum occupent, ineptum ad seria reddituri. Ille turrium, ædium superbas moles metitur, ut, quò levitas ferri possit, ostendat; hic maris claustra, aut fluvios pontibus & catenis frænatos numerat, ipse sicut aqua in licentiam effusus; aliis stupente vultu, hiante ore, oculis sibi diffidentibus, subflientes ad artificij regulam latices, aut imagines penicillo, aut statuas scalpello perito animatas intuetur, totus extra se, simulacris, quæ miratur, proprios, quam sibi, ut mendacio famam eorum coram imperitis augeat, coram gnaris suam minuat, utrobiq; infelix. Alius novâ vanitatis arte vestium formas effingit, turrita crinium propugnacula erigit, pulvere Cyprio onerat, strenuus hoc nomine heros; & cum animo habenas laxaverit, pedibus, ne numerum gressuum interturbent, legem indicit, moxq;, si totus Adonis in artem suam non peccat, speculi judicium petit, identidem sibi subridens, humeros cervice superbos attollit, os oculosq; ad mollitem flectit, male fluentes habitus fimbrias in ordinem revocat, errata corrigit, ne causam perdat sub judice vitro. Alius in Patriam redux cuncta sibi licere ratus, sacros, profanosq; ritus avitos supercilio, & voce fractâ excipit, aut infra se ponit elatus animo; cui plus inhæret visus alicubi Phidiæ Sonipes, quam Aristidis virtus. Tales errorem multo cum emerint, seipso mirantur, sua non agnoscunt, ubiq; peregrini, etiam in Patria. Dixi ego, Tu MAGNE PRÆFECTE damnas, & irasci videris famam exterorum,

terorum, & suam corruptentibus. Vidisti alienum solem jam Tibi notum, observasti mores jam Tibi probatos, lenocinantis artis crepundia intuitu delibasti, nè nimis severus censereris contemnendo. Nihil Te in stuporem rapuit, quia nihil ignotum occurrit; cum omnia domi explorata habueris, antequam conspexisti; nihil tamen omisisti, ut audita, lecta, in mappis, in suis plantis visa, oculis si responderent, perpenderes; sic nullibi peregrinus, cum Patriam amore Tecum circumferres, ut ornares. Ex tanta artium, experientiarum farragine, collegisti optima, more apis industriæ, quæ ex quocunque flore mel exsugit, cum interim scarabeus etiam ex rosis biberet venenum. Ita Tui admirationem exterorum animis cum reliqueris, totam tamen adhuc, & gaudium Natali solo intulisti; illorum ægre manibus elapsus, hic in Regis, Procerum, Tuorumq; amplexus incidisti, utrobiq; pene cum excessu, quem vel tristi abitu, vel læto reditu suscitabas. Tu materna discursuum, Tu læticiae, Tu laudum certantibus in amorem Tui animis, ita fuisti, ut esse non desinas. Hic miram in Te stupet ad res gerendas activitatem, hic mentis profunditatem; ille morum concinnam symmetriam, ille arguta acroamata; alius comitatem, ad elegantiam seculi regulatam, heroicum spiritum alias; omnes decorum compendium. Frons Tua læta & gravis, oculorum vigor non insolens, vultus ad majestatem generosè rendens, animus in vegeto corpore nihil humile, nihil tamen superbum spirans, Te à vulgo discernit, & vel sine apparatu, sine Aulæ famulantis ordine, quis sis? etiam non noscentibus monstrat. Videre Te,

jucundissimum, audire, suavissimum: non oculos  
lædis, non aures verberas: cultus corporis non affe-  
ctatus, ipsâ negligentia comptior allicit, oris pru-  
dens suavitas mulcet: non rotunda quadratis mi-  
sces, scita, visa, habita, possessa in Tui laudem non  
torques: simulare, fraudes nectere, fidem falleres;  
artes non nostri climatis non nōsti, serijs & hone-  
stis intentus. Otium nactus remittis animum, non  
solvis, vel doctis curis impendis, tempus Tuum esse  
dicens, quod cum mortuis Magistris ( ita libros vo-  
cas ) consumis: verè Tuum, cùm reliquum publico  
commodo cedat. Crevit Tecum per longinqua  
climata circumlatus Patriæ amor, exotico sole, quo  
sæpe extinguitur, ferventior; nunc jam exuberat,  
& totum se bono communii impendit, prodigia da-  
turus. Hic Te movit, ut Scipionem Mareschalca-  
lem in binis Congressibus Palatinatus Cracovien-  
sis, mole curarum gravem attolleret, & illum ani-  
morum æstum, qui plerumq; extra se fertur, pru-  
dentissimè temperares. Æstus hic raro non turbidus,  
hac temporum tempestate in Eurippum desi-  
nit, capere quām capi facilior, diverso spiritu prin-  
cipali agitatus, ut libertatis titulò in licentiam ex-  
undet, & in naufragium trahat Ipe, aut metu sopitos.  
Sana suadētes Marcelli, hīc loquaces cēsentur, & no-  
mina vana, Catones: ab eventu rerum sumitur con-  
siliorum authoritas, à fortuna sereniore boni publi-  
ci amor. Nōsti Tu aucupes, nōsti dulce canentes  
fistulas, nōsti & media ( mirum est, quām pruden-  
ter! ) quibus contraria concilias, ut afferas medelam;  
artem arte retundas, ut dolus sibi in dolorem de-  
sinat, Patriæ in gaudia, Tibi in pretium. Nihil  
erat

erat arduum, quod non superasti, nihil difficile;  
quod non resolvisti, nihil contrarium, quod non  
conciliasti: omnia cum plausu, omnia WIELO-  
POLSCIORVM more, magnificè. Desfluebat  
per sua loca ab utroq; latere Tuo, longa Procerum  
series, ne&ebat Tibi coronam circumpatens ingen-  
ti numerò Equitum Ordo; omnes in Te defixi ab  
ore Tuo pendebant, cujus suavitate, quā ad delicias  
polles, arrectas aures mulcebas, rationum pondere,  
ad publicum commodum corda inclinabas. De-  
mulisti, inclinasti, tandem votis devinctus assensi-  
sti, ut hoc, activitate Tuā felix animorum regimen  
ad plures Congressus protraheres; quod adhuc te-  
nes, nè videaris communi utilitati deesse. Quanta  
virtutis Tuæ palæstra! quanta gloria! si sic in viridi,  
quid de Te sperandum in arido? si paucis annis vir-  
tute peractis, Annales imples, quanta onerabis vo-  
lumina ætate provectione? Tandem, ô Heros! cir-  
cumfusus longo Procerum, Equitum agmine, desti-  
natum Iurisdictioni Tuæ locum ingrederis, angu-  
sto satis tramite, quem vix relinquunt ingentia po-  
puli examina. Vacuæ ædes nullo custode tenen-  
tur: non sexus, non ætas, non valetudo quenquam  
retardat: procurrunt omnes obviam, mox, Te ap-  
propinquante, vias opplent, tecta onerant, prospe-  
ctus domorum occupant, deniq; deserunt; cùm Te  
oculis eripis remotior, sequuntur, & vix manibus  
temperant, quin Te humeris ferant, jam animis in-  
sidentem, parem gaudio clamorem attollentes, Teq;  
vivere cupientes, cujus videndi causâ, vitam sibi  
exoptant. Reptant senes, præcurrunt juvenes, at-  
tollunt parvulos matres, Teq; noscendum indigi-

N

tant,

tant, in quo suam felicitatem, opem, tutelam saluant, & Numina votis suis propitia colunt, Tibi ferta & flores daturi, si auderent. Audi voces, vota collige numero & affectu grandia, Tibi longa tempora, Purpuras, Fasces optantium, & jam nomina, titulos, insignia, quibus, nullius non capax, eminebis, numerantium. Equo phaleris, auro, & gemmis superbo, sed Te Sessore magis, sublimis, dotibus Tuis sublimior progrederis; omnes ipsum Honorem equitare putant; quanquam & hic in Tuo ingressu eò magnificentius triumphet, quo celsius Avito Tuo Sonipede vehitur. Templum suum, aras, pulvinaria deseruit, supplicantibus iratus, qui soli fortunæ confisi, sua limina opplent, vota ingeminant, munera exspectant, antequam in Virtutis ædibus constiterint; memor pudoris, quo erubescet, cum talibus favisset; Te amplectitur, Tibi applaudit, sibi gratulatur, quod Te capacem munierum suorum invenerit, & talem ex quo ornetur. Virtute Tuâ, & Sanguine Celfissimo superbit, gaudetq; videri in publico, quod propriâ luce illustrâs, & Majorum, Tuorum Imaginibus in Te repræsentatis adornas. O Te felicem! at Tuis Successoribus gravem. Onerâsti futuros Praefectos, onerâsti Iurisdictioni Tuæ subjectos: nam & hi similem Tibi habere cupient, & illi quod plausum parem non habebunt, indignabuntur. Auxisti loco, quem capis, decus, auxisti & onus; qui jam magis alios illiciet, ut Tibi succedant, & deterrebit, nè impares: unde collimus, facilius fore, ut aliquis Tuus Successor esse possit, quam ve- lit. Tantâ Tuâ felicitate nè solus (quanquam Tu privata, publicis intentus, non advertis) gauderes,

Confor.

Consortem adhibuisti, quæ ejus, & vitæ simul socia  
in cordis Tui coronam cedit, quâ eminentior, &  
beatior fias. Nimirum, inter amicos si dividuntur  
dolores, decrescunt; si gaudia, augentur. Etiam.  
Coronis curarum innectuntur spinæ, Purpuris ad-  
hærent solicitudinis tineæ; quæ pungunt, rodunt,  
exeduntq; intima, nisi eas amica manus excutiat.  
Dedistis Vobis inyicem dextras, dedistis & corda,  
quæ sacro nexu juncta, innocentem amorem spi-  
rant, & Vos simul animant, ut sit vita utriq; eadem.  
Hanc Heroinam, Dianam esse assererem, nisi Te  
Apollinem amaret; Pandoram ramen credo, quan-  
quam LVDOVICAM novi; vel utramq; sub hoc  
Nomine latere, ut sanctius appareant. In hanc  
Nympham Numinum dona confluxere, ut Tu  
amore dignam facerent, haberetisve parem, cum qua  
beatius viveres. Excellentissimorum Parentum,  
**PAVLI ALEXANDRI SAPIEHA**, Archima-  
reschalci, Magni Ducatûs Lithuaniae, & **MARIÆ**  
**CATHARINÆ**, Marchionissæ de Bethun, lectis-  
sima Filia, Celsissimo Genere magna, virtute, ma-  
xima. Quid est **SAPIEHARVM** Domus? si non  
totus ab antiquo Senatus; in qua nullum reperies,  
nisi Senatorem, aut ex Senatore natum. Purpurata  
hîc omnia, splendidissima Heroum Ceris, decorata  
triumphis, referta trophæis, & recenti cum Ducibus  
Holstinenib[us] affinitate, serenissima; quæ cùm  
Orbi pateant eminentissimè, à me profundo silen-  
tio coluntur reverentissimè. Quid est Marchio-  
num de Bethun **Sanguis**? si non Claritudo excel-  
lentissima; qui Regum Affinis, in Gallia Purpura-  
tus, gemmis & rosis dici meretur, ut, quidquid ore

profertur, sit corona. Ejusmodi Celsitudine, &  
suis decoribus, quæ sub præstantissima forma reni-  
dent, insignis LVDOVICA resulget; digna Apel-  
lis arte, nisi & hæc infra ejus excellentiam esset;  
quam ille deformavit, cùm non Deas tantum, etiam  
Helenam pinxit, hoc formoso opere deturpatus;  
quanquam illa pingi & videri non vult, nisi sub mo-  
destiæ umbris. O Par beatum! ô felix animorum  
& decorum Vnio! Vincula hæc mutui amoris Ve-  
stri nunquam fata tristitia rumpant; Supremum.  
Numen beneficijs suis in Vos collatis faveat, mu-  
neribus perpetuitatem addat, ut cernatis Filiorum,  
quos expectat Patria, & Nepotum senectutem ta-  
lem, qualem Vobis, & sibi Pronepotes Vestri opta-  
bunt; quibus Honor, jam à tot seculis domesticus  
applaudet, qui Te, omnibus titulis gravis, Cel-  
sissimo Sanguine, Tuâ virtute, & nostris  
votis sublimem ad supra Culmina  
ducens præcurrit, ac plaudenti-  
bus cunctis, Eques in Tuo  
Ingressu triumphat.



&  
eni-  
bel-  
et;  
am  
us;  
no-  
um  
Ve-  
m.  
nu-  
um,  
ta-  
ota-  
cus  
mis  
pes  
PA  
rele  
C  
mit  
tix  
rot  
nig  
pla  
un  
Ho  
di  
O  
oii  
run  
non  
eas



